

Q. D. B. V.

De

20.

CANTIONIBVS FVNEBRI-
BVS VETERVM

disputabunt

M. Chron: XXXV. 25.

Ann: IX. 17. Martii 1722

PRÆSES

M. CAROLVS SAMVEL Senff/

Stolpena-Misnicus,

&

RESPONDENS

GEORGIVS WEZELIVS, Pokavia-Mariæ-Montanus,
Phil. & Theol. Studiosus.

d. 6. Novembris, Anno MDC LXXXIX.


H. L. Q. C.

L I P S I Æ,

Typis CHRISTOPHORI GVNTHERI.

.05

2012-2013



IN NOMINE JESV!

Breviarium.

Ritus nostri frequentia §. 1. *apud Græcos & Romanos* §. 3. 4. 5. *Ju-
daeos* §. 6. *Christianos (de quibus disputamus, §. 2.) antiquitas*
ficta & verior §. 7. 8. *usus in variis Ecclesiis* §. 8. *in quibus funeri-
bus?* §. 9. *in quibus non?* §. 10. *Ante* §. 11. 12. *in* §. 13. 14. *post ex-
equias* §. 15. *Cantores in certis choris* §. 16. *Sacerdotes, sacra
virgines, earumque numerus* §. 17. *Lamentatrices clam intro-
ductæ saxantur* §. 18. *Materia cantus, (non instrumentalis, sed vo-
calis* §. 24) *Psalmi* §. 19. *quinam?* 20. 21. *Alleluja, Kyrie Eleison*
§. 22. *Qua lingua cantatum?* §. 23. *Modicus luctus inter canendum?*
§. 25. *Gaudium, unde?* §. 26.

§. 1.



Um cantu mortuos ad sepulturam prosequi oportere, plurimarum gentium vel regionum insiruta sanxere; Macrobius testis est Lib. II. in Somn. Scip. cap. 3.

§. 2. Nos, antequam Dissertationem de Funebribus Concionibus Tertiam, ex Historia recentiori sistamus, acturi interim de RITV CANENDI in exequiis CHRISTIANORVM, omnium populorum consuetudines

pandere nec possumus, nec debemus. Præfabimur tamen quædam de Græcis, Romanis atque Judæis, sequentium illustrationi inservitura.

§. 3. De *Græcis* adeo *Romanisq;* constat, quod funera suorum non *vocali* tantum, sed & *instrumentali* (ut loquimur) cantu deduxerint. Id jam observavit antiquissimus excellentissimusque Poeta, Homerus, qui, postquam Hectoris cadaver Trojæ illatum, lectisque pensilibus impositum *Iliad. Ω.* commemorasset, cantorum meminuit, dum pergit:

-- -- ὄψ' δ' εἶσαν αἰοιδῆς,
 Θρήνων ἐξ ἀρχῆς, οἳ τς ζωνόεσσαν αἰοιδῶ,
 Οἱ μὲρ ἀε' ἐθρήνεον, ἐπὶ ᾧ ζενάχοντο γυναῖκες.

Post eum Plato in Minoe, Æsopusque in apologo de *πλυσίῳ, Θρηνώδῃς* quoque *γυναῖκας* adhibitas fuisse, innuunt, recensente B. Quendst. *cap. VI. de Sepult. Vet. p. 126.* Et Athenienses certa scholia sive carminis genus in comitis cecinisse ad citharam, quibus defunctorum laudes prædicarint, observat Casaubonus ad *Athenai c. XIV. Lib. XV. p. 980.* Notum imprimis est illud in honore Harmodii, (proverbio enim locum fecit) cujus initium: *Φίλτατε Ἀρμόδιε ἔτι πῦ τῆθνηκας.*

§. 4. Annonigitur Romani a Græcis, (ut plerasque non solum leges, sed & ritus & ceremonias,) cantum funebrem ad se derivarunt? Patere certe id videtur *tum* ex XII. Tabb. leges, a Cicerone *Lib. II. Leg. descripta: (Honoratorum virorum laudes in concione memoranto, easq; etiam ad cantus ad tibicinem prosequuntor, cui nomen nenias: quo vocabulo etiam Græci cantus lugubres nominant;)* *tum* etiam ex ipsa rerum inter se collatione. Habebant quippe & hi lamentatrices suas, quas vocabant *præficas*, scæminas pretio conductas ut *laudarent alios, quanquam se ipsas non possent*, Plaut. in *Trucul.* Carmen quod canebant, *nenias* appellari diximus, vocabulo Phrygum proprio, & postea ad nugatoria & jocularia quævis translato. Quanquam *Jalemon* malebant Græci, a *Jalemo, Calliopæ* filio, qui cantibus funebribus præerat. Vossius *L. III. Insb. Orat. p. 413*; aut *Epitaphium*, quod primum instituisse Simonidem, Græcum Poetam Lyricum, volunt. Tiraquellus ad *Alex. ab Alex. Lib. III. cap. 7. p. m. 626.* Aderant etiam *τύμβαυλοι*, siticines aut tibicines, qui vocibus muliercularum intercinebant. Quod, ut cætera omnia, prolixè exposuit celeberrimus Kirchmannus in suo *Funere Romano Lib. II. c. IV. V. VI.*

§. 5. *Causas* observatæ consuetudinis si inquiras, inveniēs varias. Ex Platonis Philosophia concludit *l.c.* Macrobius, credidisse Veteres, *animas post corporis vincula ad originem dulcedinis Musicæ, id est, ad cælum, redire.* Alii factum censent, quod anima ipsa a plerisque harmonia existimata fuerit. Existimavit autem in primis Herophilus; & qui ejusdem fuerint opinionis, tradit Cicero *Lib. I. Tuscul. Conf. Tiraquellum l.c.p. 628.* Rectius dicimus, lugubres fœminas falsis suis lacrymis aliorum veras ciere debuisse; Svetonius in *Cæs. c. 84. Cantata sunt quedam ad miserationem & invidiam cadis ejus accommodata.*

§. 6. Sed missis his, *Judaos* potius spectamus, quos tibicines, (quorum mentio in futuro Evangelio *Matth. IX, 23.*) accepisse a Romanis, sub quorum tum imperio erant, colligunt eruditi, in primis Stephanus Menochius *Lib. VIII. de Republ. Hebraeorum c. 5. q. 6.* Wilh. Schickhardus de *Jure Regio c. VI. Theor. 19.* B. Geierus de *Lucif. Ebraorum c. 5. §. 16.* Quanquam enim Hugo Grotius, *not. ad Evang. p. 189. exstare in antiquissimis Hebraeorum scriptis ejus ritus vestigia* dicat, non tamen probat. Lamentatricum vero meminit jam Jeremias *cap. IX, 17.* quin & Lamentatorum Maimonides *Esel c. XII. init.* Veroque admodum simile est, illorum hominum plantum non mero clamore atque ejulatu constitisse; sed præcipue cantionibus atque epicediis, ad defunctorum honorem lugentiumque solatium institutis, notante Buxtorf. *Lex. Talmudico f. 1524.* Conf. B. Geier. *l. c. §. 18.* Ita nonnulli, ut Sanctius, opinantur, ipsum Davidem, in funebri Abneris deductione, ferale cecinisse canticum, quod turba sequens iteraverit, citante eodem *c. 6. §. 19. p. 162.* Interim cantum hunc funebrem ex *c. l. 2. Sam. III, 31. & Tobia XIV, 16.* non probare potuisse Jo. Hier. Sopranem, *Jes. Genuens. Digress. II. David. de rit. Hebraor. in funere part. II. c. 5. f. 490.* ostendit alius Jesuita jam citatus *Lib. IIX. de Rep. Hebr. c. V. q. 6. f. 771.* Commodius quis provocare posset ad cantores & cantatrices 2. *Rasal. XXXV, 25.* B. Geier. *l. c. & Magnif. Carpozovius P. III. Funebr. p. 389.*

§. 7. *Christianos* igitur, ad quos nunc deveniendum, cantum Funebrem, sed *vocalem tantum*, (vid. §. 24.) a recensitis populis accepisse, dubio, ut arbitror, caret; sed quo tempore? non æque

certum est. Elegans de Christi funere ad sepulcrales Christianorum ritus est allusio Epiphaniū (*orat. de Sepult. Chr.*) Ita Josephum alloquitur: *Quales cantabis funebres hymnos illi, qui indefinenter laudatur ab omni caelesti exercitu? Num vero lacrymas fundis, ut super mortuum, qui lacrymavit mortuum Lazarum eumq; suscitavit? Num vero et planctum facis, qui omnibus gaudium largitus est, & tristitiam Eva dissolvit? Sed si quis Christi jam funus cum cantu elatum, probare inde vult, maxime fallitur. Credit tamen Paulus Aringhus Tom. I. Rom. Subterr. Lib. I. c. 19. §. 3. (cumque eo fortasse Pontificii plures,) hymnos jam in dormitione virginis Deiparæ decantatos fuisse, quod id apud Dionysium Areopagitam de *Divin. nomin. c. 3.* enarratum inveniebat. Petrum item Paulumque, Apostolos, de fratribus e vita excedentibus, cum cantu Psalmorum deducendis, decretum promulgasse profitetur, quod in *Constitutionibus*, quas vulgo vocant *Apostolicas*, tale quid legerat. Nostri vero, uti de his auctoritatibus & traditionibus merito dubitant: Ita magis probant Centuriatorum Magdeburg. assertionem, qui de his cantionibus & vigiliis, neque præceptum, neque exemplum, in probatis priorum duorum seculorum Scriptoribus, se reperisse, testantur.*

§. 8. Postquam tamen optata Ecclesia pace frui sub Christianis Imperatoribus cœpit, quarto in primis seculo, celeberrimorum, tum in Oriente, tum Occidente, Patrum feracissimo, ritus noster florere cœpit maxime. Hinc aurei oris Scriptor, Chrysostomus, *Homil. LXI. T. V.* in funere dixit esse *ψαλμωδίας, καὶ εὐχάς, καὶ πατέρων συλλόγους*. Et Sulpitius Severus, purissimus Ecclesiasticæ Historiæ Scriptor, *Epist. II. de S. Martino* refert, quod *corpus ejus usque ad locum sepulcbrī hymnis caelestibus canora turba fuerit profecuta*. In primis in Gallia hunc morem obtinuisse, exemplo Chlotildis, Francorum Reginae, quæ psallentium multitudine comitante, terræ mandata est Parisiis, ex *Gregorio Turonensi* probat Onuphrius Panvinius *Lib. de rit. sepel. mort. c. 5.* Magni etiam id æstimasse Christianos, Victor Uticensis, malorum, quæ Augustini ætate passa est Africana Ecclesia in *persecutione Vandalica*, narrator, *Lib. 1.* testis est, qui, quod Rex Genfericus mortuos cum psalmodum cantu efferre

efferre prohibuisset, conquestus, *Quis, ait, sustineat atque possit sine lacrymis recordari, dum praciperet nostrorum corpora defunctorum, sine solennitate hymnorum cum silentio ad sepulcra deferri.*

§. 9. Hoc vero officium singulis Fidelibus præstari vult Concilium Toletanum III. C. XXII. & initio Religiosorum meminit: *Corpora Religiosorum (ita canon habet) qui divina vocatione ab hac vita recedunt, cum psalmis & psallentium vocibus ad sepulcrum deferantur, in spe resurrectionis. Sic enim Christianorum per omnem mundum humari oportet corpora defunctorum. Vid. Aringh. l. c.* Jamque antea, ne pauperum cura abjiceretur, effecerat laudatissimus Imperator Justinianus *Novella LIX. de deb. impens. in exeq. defunct.* constituens, ut hi sacri antiquitatis ritus in nullo Fidelis cujuscumque funere intermitterentur. Ditiores tamen, ut pauperibus semper præferri gestiunt: ita cum majori solennitate elatos, exponit suo tempore Macarius *Homil. XV. p. 184. Si vir dives, inquit, moritur, cum cantu & lætæ effertur a fratribus, a consanguineis, amicis & familiaribus. Conf. Rom. XXX. & Svicorum Theaur. Eccles. tit. εκκομιδή. Quos adeo Luciani effatum in mortui προσορραία superstitibus occinentes introducere posses, τί μὲ ὁ κλικυτός ὑμῶν ὀνειησι, καὶ ἡ πρὸς τὸν αὐλὸν αὐτῆ ἑσπεροτυπία;*

§. 10. Cæterum sunt, quorum in Funere cantus a Conciliis quibusdam *denegatus* est. Sic *Catechumenos* sine Baptismo mortuos excludit Synodus Bracarenfis I. *Can. XXXIV. Placuit, inquit, Patres, catechumenis sine Baptismi redemptione mortuis psallendi non impendatur officium. Idemque ibidem statuitur de αυτοφόνους: Placuit, ut qui aut per ferrum, aut venenum, aut suspendium, aut quolibet modo violentam sibi ipsis inferunt mortem, nulla pro illis in commemoratione oblatio fiat, neque cum psalmis ad sepulcrum illorum corpora deducantur. Et similiter & de his placuit, qui pro suis sceleribus puniuntur. In duello casus Concilium Valent. Anno 855. addit C. XII. In duello casus, tanquam sui homicida, & propria mortis sponsaneus appetitor, a dominica oblationis commemoratione habeatur alienus, neq. cadaver ejus cum psalmis vel orationibus deducatur ad sepulcrum.* Vid. Jos. Arndii *Lexic. Antiq. tit. Funeralia p. 421.*

§. 11. At, qui pie decesserant, vix decesserant, cum a circum-

cumflantibus & undique confluentibus hymni elata voce canerentur. Sic oculos modo clauferat in monasterio Macrina, cum, Frater ejus, Gregorius Nyffenus, virgines immodice flentes follicite admonebat, ut lamentationis clamorem pia Psalmorum decantatione commutarent. *Et ecce virginum cantibus lamentationis commixtis statim resonabat locus.* Vid. Eund. *Ep. ad Olympium de morte Sororis Tom. I. Opp. p. 197.* Pari modo Paulæ, matronæ inter Romanas quondam maxime conspicuæ, morituræ, aderant Episcopi, Sacerdotes, Diaconi, totumque, in quo decumbebat, monasterium, monachorum virginumque chori impleverant. *Ubi animam efflauit, inquit Hieronymus (Ep. XXVII. & XXX.) non planctus, ut inter ceteros seculi homines fieri solet, sed psalmorum examina concrepabant.* Eadem pompa Fabiolæ exhibita. *Nec dum spiritum exhalauerat, & jam fama volat tanti prænuncia luctus.* Id. *Ep. ad Occanum de Funere Fabiæ Rom.*

§. 12. Maxime, & sæpe nocte funus præcedente, *Vigilias* ad corpora defunctorum transigebant veteres, teste Duranto *Lib. I. Rit. Eccles. c. XXIII. p. 193.* quem citat B. Geierus *l. d. §. 19.* hosque hymnos *lucernales*, ut *lucernarias* preces, totumque officium *lucernarium* vocabant. Hildebrand. *Tract. de Priscæ Eccl. Sacris rit. vigil. lit. e. col. ult. & Lib. de prec. Vet. §. 27. p. 74.* Adduco Constantii Imp. exemplum, de cujus funere Theologus Noster in *Invectiva Julian*, loquitur: *Constantius, ait, communibus omnium elatus est laudibus ac pompis, nec non cantibus tota nocte resonantibus, ac luminibus accensis, quibus Christiani transitum honorare pium censemus, panegyrisque post mortem dicta est, & corporis facta deportatio cum comitatione.* Sic quo obierat die Episcopus Fulgentius, in oratorio monasteriilli per totam noctem in psalmis, hymnis & canticis spiritualibus monachi simul cum clericis perseverarunt. Aringh. *l. c. c. XX. §. 9.*

§. 13. Ubi vero *dictus* sepulturæ terminus aderat, & ipsa jam elatio peragenda erat, publice conjunctisque viribus cantatum novimus. Præcedebant feretrum, supremi funeris instrumentum, juxta Ambrosium in *cap. VII. Luc.* qui faces cereosque præferabant, quos in funere S. Paulæ fuisse Episcopos, in Epitaphio ejus Hiero-

Hieronimus recensuit. *Translata est Episcoporum manibus, & cervicem feretro subjicientibus, cum alii Pontifices lampades cereosque praferrent, alii choros psallentium ducerent.* Sequebantur Cantores, per totam viam elata voce hymnos modulati; quod & apud recentiores Græcos, ipsosque Turcas usitatum est. Certe cum Macrina ad tumulum perferretur, a principio usque ad finem processionis, per totum ferme diem continuata, personabant Psalmi, scribente id l. c. ejus Fratre Gregorio. Et quoniam a tergo demum canentium cadaver portabatur, ad differentiam *ἐκφορᾶς*, sive *elationis*; comitatus præcedens, *προπομπή*, seu *profecutus* dicebatur, quod testimoniis quibusdam ex Chrysof. petitis illustrat Svicerus in *Thef. voc. ταφή*. Nimirum ex *Homil. XIV. in I. ad Timoth.* *Μετὰ ὑμῶν προπέμπομεν τὰς ἀπελθόντας.* Et ex *Homil. CXVI. Tom. VI. ψαλμῶν καὶ ὕμνων αὐτὰς προπέμπομεν.* Idque intelligere Nazianzenum *Orat. in Gorgoniam*, Sororem, per *προπεμπωτήρια χαρίζεσθαι*, asserit.

§. 14. *Ad sepulchrum, sive in templum*, pompa tandem deveniebat, ubi finitis Psalmis, in preces solvebantur præsentēs omnes. Areopagita *Eccles. Hierach. c. VII.* post lectiones a Diacano recitatas, hymnos etiam auditos suo tempore, recenset. Οἱ λειτουργοί, inquit, τὰς ἐν τοῖς θείοις λόγοις ἐμψροσμένας ἀψευδεῖς ἐπαγγελίας πρὸ τῆς ἱερᾶς ὑμῶν ἀνασάσεως ἀναγόντες, ἱερῶς ἀδῶσι τὰς ὁμολόγους καὶ ταυτοδυνάμεις τῶν ψαλμικῶν λογίων ὡδίας. Idem recentiores Græci, post officium & Evangelium recitatum faciunt, prout ex *Leone Allatio c. I.* Svicerus ostendit.

§. 15. Neque post exequias Christiani nostri tacuerunt, quin potius per totam sæpe hebdomadem ora in laudes Dei resolverunt. Nam corpus Beatæ Paulæ, viduæ, triduo post funus expositum mansit, eoque *non solum triduo, donec subter specum Domini conderetur, Psalmi audiebantur, sed per omnem hebdomadam, cunctis, qui venerant, suum funus & proprias credentibus lacrymas.* Monendum hic etiam est, fuisse certos veteribus dies Psalmorum adhibendorum officio destinatos, quod Clemens innuit in *Const. Ap. L. VIII. c. LVIII.* *Peragatur dies tertius mortuorum in Psalmis, in lectionibus atque orationibus propter eum, qui tertia die resurrexit.*

item uonus in commemorationem superstitum atque defunctorum, &c. Et observari quoque meretur, quod in *funerum* celebriorum *transmissione* obviam cum cantu processerint ex oppidis incolæ. Sic reliquias Meletii, jussu Theodosii Imp. per totam viam publicam intra civitatum muros receptas, & per Psalmodias singulis locis cum honore acceptas, donec deportarentur Antiochiam, observavit Onuphrius *l. c. cap. X.* Sic Simeonis Stilicæ corpus cum Psalmis & hymnis vectum est Antiochiam: *Tunc vero omnes e civitate eisdem obviam prodeuntes, cum Psalmis, & hymnis, & cum multis lampadibus portaverunt corpus ad Ecclesiam.* Aringhus *l. c. c. XIX. §. 15.*

§. 16. *Canendi officio quinam functi fuerint? Scire nunc juvat.* Et quoniam tum ante elationem, tum in elatione, tum post eam, cantatum accepimus, distinctim respondendum videtur, dicendo *ante & post ἐκδοξὴν* propinquos maxime, & qui alias defuncti lectulo in dormitorio astabant, cecinisse, testante id *l. c.* Dionysio Areopagita. In ipsa vero *elatione* totos initio choros conspiciendos sistimus. Pariter enim ac Plato is exequiis defunctorum urbis Præfectorum duos choros, quindecim puellarum alterum, alterum totidem puerorum ante feretrum constitui optabat, ut patrio cantu laudes eorum celebrarent *Lib. XII. de Rep. p. m. 905.* Eodem modo apud Christianos Psallentium turmas, quibus sui adjugebantur *duces*, adfuisse legimus, quarum meminit Gregorius Turonensis *Lib. de vit. Patr. in Lupicino recluso cap. XIV.* Nysenus de *funere Meletii: Dicite populo illi* (scil. Antiocheno) - *quomodo præclarus David multifariam multisque modis in innumeros ordines sese distribuens* (πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως εἰς μυρίας τάξεις αὐτοῦν καταμερίσας,) *circa tabernaculi pompam tripudiabat.* Et in fororis Macrinæ deductione triplicem canentium ordinem, a se ipso ita dispositum, cecinisse ait: *καὶ ἦν τις, ἠνθὶς, μουσικὴ πομπὴ τὸ γινόμενον, ὁμοφώνως τῆς ψαλμωδίας ἀπ' ἀκρων ἐπὶ ἐσχάτης, καθάπερ ἐν τῇ τῶν τραγῶν παιδῶν ἑμνωδία μελωδομένης.*

§. 17. *Chororum vero, quorum plures modo, modo pauciores, ut ex dictis facile colligitur, aderant, utriusque generis hominibus constabant, segregatis tamen seorsimque procedentibus. Nimirum & sacra Deoque dicatur virginibus, & Monachi cum Sacer-*
doti-

doribus muneris id peragebant , populo etiam exequias eunte , simul applaudente. Hoc in funere Constantii, Constantini M. Patris, factum legimus : (Eusebio suggerente L. I. de vita Const. p. 121. b.) Ibi exequias procedens Constantinus , cum amicis paternis , aliis quidem praesentibus , aliis vero a tergo sequentibus cum toto magistratu Dei amantem comitabatur ; laudibus etiam & hymnis universi beatissimum illum honorabant , & conspirante concentu mortui vitam laudabant. Illud descripturus Justiniani Imperatoris sepulturam Corippus Lib. III. eleganter expressit , dum canit :

- - - - - Nil plura moratus
*Augustus, nunc tolli sublime feretrum
 Imperat, & tota populus processit ab aula,
 Maestaque funereas accendunt agmina ceras.
 Quis numerare potest tanta miracula pompa.
 Hinc Levitarum venerabilis ordo canentum,
 Virgineus tonat inde chorus ; vox aethera pulsat.*

Idem Imperator Novella supra allegata certum in quolibet funere cantatricum numerum sanxit, (relicta tamen ditioribus potestate majorem advocandi,) quas ibi γυναῖκας τῆς κλήνης ἡγμεμένας καὶ ψαλλέσας appellat. Nimirum singulis Mortuorum lectis assignavit unum assistentium , sive οἰκτο Canonicas & sancti noniales, ante cadaver gratis psallentes; nec non tres acolythos, qui cereos deferrent. Perinde uti Romani quondam , cum nimio tibicinum numero funera gravarentur , non plures , quam decem , admittendos judicarent , quod Ovidius VI. Fastorum innuit:

*Adde, quod edulis , pompa qui funeris irent,
 Artifices solos jusserit esse decem.*

§. 18. Et hoc salutari instituto muliebrem gentilium lessum in cantum convertere Imperator optimus simul voluit. Abusus quippe in Ecclesiam irrepsit detestandus , nam foeminas in funebribus , exemplo prisorum Romanorum , lugentes conducebant, quæ immodicis suis lamentationibus scandalo piis erant. Conquestus hac de re maxime est Chrysostomus , totius terrarum orbis Doctor cognominatus Theodoro , qui modo (Hom. XIII. in Ep. Pauli) κακαγέλασον τῶν θρηνητῶν γυναικῶν ἐσμὸν prohibet; modo.

(Hom. IV. in c. II. Ep. Hebr.) prolixè graviterque adducturis in posterum hujusmodi mulierculas (ex ipso quoque funerum comitatu accendas) excommunicationem minatur. Verba ipsius quædam Græca (magis enim sic placebant,) adjungam: *Εἰ συμβαίνοι καὶ τινες θρηνησας ταύτας μιδοῦσαιντο, πιστεύσατέ μοι λέγοντι, ἢ ἄλλο γὰρ ἐγώ, ἀλλ' ὡς ἔχω ὁ βεβλόμενος ὀργιζέσθω, πολὺν αὐτὸν χρόνον τῆς ἐκκλησίας ἀπήρξομεν, ὡς τὸν εἰδωλολάττην.* Et in Occidente Concilium Toletanum III. anno 545. juxta Sigeberti Chronicon celebratum, *Can. XXII.* Funebria hujusmodi carmina, addita prægnanti, & a Christianis sæpe alias allegata, ratione, merito improbat. *Funebre carmen, quod vulgo defunctis cantari solet, vel in pectoribus sc, aut proximos aut familias cadere, omnino prohibemus. Prohibet enim nos Apostolus sanctos lugere defunctos, dicens: De dormientibus autem nolò vos contristari, sicut & cæteri, qui spem non habent.* Idem in *Statutis Mediolanensibus* vetari scribit Carolus du Fresne *App. ad Gloss. Inf. & Med. Latin. tit. cantatrices*, additque lamentatrices in ipsis tumulis juxta mortuorum figuras, vel in ipsa sepulchròrumba si pictas cerni, in specie, in tumulo Annæ Burgundæ, mortuæ A. 1232. Ducissæ Bedfordiensis, in Æde Sacra Cœlestinorum Parisiensium juxta sacrum altare. Imo ibidem ex *Arte Dicæaminis Ms. Boncompagni Bononiensis* adducit, has scæminas etiam *computatrices* nominari quondam solitas, & quo gestu lamentatæ fuerint, indicat; quod adscripsisse non grave erit. *Ducuntur, ait cum Boncompagno du Fresne, Romæ quædam femina pretio nummario, ad plangendum super corpora defunctorum, quæ computatrices vocantur, ex eo, quod sub specie rythmica nobilitates, divitias, formas, fortunas & omnes laudabiles mortuorum actus computant seriatim. Sedet namque computatrix aut interdum recta, vel interdum præclivis stat super genua crinibus dissolutis, & incipit præconia laudum voce variabili juxta corpus defuncti narrare, & semper in fine clausula ho vel hi promit, more plangentis. Et tunc omnes astantes simul cum ipsa flebiles voces emittunt.*

§. 19. Ex quibus patet, quod non profus ex voto in eradicandis pessimæ hujus consvetudinis fibræ antiquitus laboratum fuerit. Idque eo magis deplorandum merito est, quo certius nobis
de

de sanctorum Patrum laudabili intentione constat, ex ipsis *canticis* præterea cognoscenda. Nam, quod plura hæcenus testimonia ostenderunt, ex *Davidis Psalterio*, quod canerent, sibi defumebant, τῶ τῆς νύκτος αἰτίῳ χαρμηρῆς οἰδᾶς ἀναπέμποντες, προσίτι καὶ αὐτῆς ἀφίκεσθαι πρὸς τῆν ἰομοίαν εὐχόμενοι τελευταῖν uti c. l. loquitur Areopagita.

§. 20. Et bene factum, quod in Scriptis S. Patrum aliquot in exequiis usurpatos Psalmos invenimus. Præcipue Chrysofomus dicta *Hom. IV. in Ep. Hebr. c. II.* nonnullos suis Auditoribus considerandos proponit, ita quemlibet lugentem allocutus: *Ενώσησον τὴ ψάλλεις κατὰ τὸν καιρὸν ἐκῆνον* (sc. cum funus effertur) *Ἐπίσειπον ψυχὴ μὲ εἰς τὴν ἀνάπαισιν σα, ὅτι Κύριος εὐεργέτησέ σε* (*Pf. CXVI, 7.*) *καὶ πάλιν ὀφοβηθήτομα κακά, ὅτι σὺ μετ' ἐμοῦ εἶ.* (*Pf. XXIII, 4.*) *καὶ πάλιν σὺ μὲ εἶ καταφυγὴ ἀπὸ θλίψεως τῆς περιχόσης μου.* (*Pf. XXXII, 7.*) Augustinus Monicae, matris, funus spectandum exhibens (*Lib. IX. Conf. c. 12.*) se una cum aliis Psalmos, *centesimum primum* maxime, cecinisse fatetur: *Ubi illa efflavit spiritum, prius Adeodatus exclamavit in planctum, atque a nobis omnibus coercitus, tacuit: eoque a fletu cobibito, Psalterium arripuit Evodius, & cantare cepit Psalmum, cui respondebamus omnis domus: Misericordiam & iudicium cantabo tibi, Domine.* Prudentius *Hymno in laudem Martyris* cujusdam Romani conscripto, ejus matrem ex *cit. Pf. CXVI. v. 15.* canentem inducit:

-- -- *Deinde cum feris cervicalam*

Percussor ense, docta mulier psallere,

Hymnum canebat carminis Davidici:

Pretiosa Sancti mors ab aspectu Dei.

Plura ex *Sacrorum Ritualium libris* sine dubio peti possunt, quo Lectores, præcipue ad *D. Gregorii Libr. Sacramentorum* remittit, Aringhus l. c. *C. XX. §. 13.*

§. 21. Inprimis tamen *Psalmi CXVI. vers. 7.* jam citatum, magni æstimasse Veteres, certum est. Hunc enim non solum Chrysofomus alio loco (*Hom. LI. ad Pop. Antiochenum*) auditoribus inculcat. *Idcirco, inquit, psalmos super mortuos psallimus, qui nos cohortantur, ut mortem non timeamus. Convertere enim, inquit*

anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit Tibi. Vides beneficium esse mortem & requiem! Sed & jam antea Babylas Antiochenus Episcopus, sub Numeriano, vel quod alii volunt, sub Decio ad mortem cum liberis condemnatus, hæc verba cecinisse dicitur: ceu Marcus & Marcellinus, stipitibus infixi sub Diocletiano, alternatim læta voce cantabant ex *Pf. CXXXIII, 1.* Hildebrand. *Art. Ben. Mor. cap. IX. §. 16. p. 156.* Idem solatium Imp. Theodosius moriturus amplexus est, testante in *Funebri Sermone* Ambrosio, & brevius nonnihil Theodoretus *Lib. V.* hinc filios quoque suos eopse ad pietatem adhortatus: *Hæc, dixit, pax & tranquillitas stabilisur.* Cæterum notum est, quod hodiernum Pontificii in celebratione Missarum pro defunctis verbis his Davidicis utantur; (cantio illis dicitur *Requiem*) si animas ex purgatorio liberare ita volunt, male ad Patres provocant. Vid. Caspar. Exneri *Quiesissimum Sacrum* p. 362.

§. 22. Præter Psalmos in Ecclesia Occidentali usurparunt etiam vocem in maximis festivitibus cani solitam, *Alleluja*. Sic Romæ, vivente Damaso, in exequiis Fabiolæ, ut Hieronymus recenset, *resonabant psalmi, & aurata tecta templorum reboans in sublimè quatiebat Alleluja*. Conf. Baron. in *Annum 384. & 310.* Card. Bona de *divina Psalmod. c. 16. §. 7. n. 4. p. 830.* narrat, ab *Hispanis* in Missa quoque pro defunctis dictum Alleluja. Sic enim ea incipit: *Tu es portio mea, Domine, Alleluja; In terra viventium, Alleluja; eundemque ritum viguisse in Gallicana, ex Actis S. Radegundis apud Baron. Anno 590. n. 39.* probat. Imo de more canendi apud veteres, non tantum Græcos, sed & Francos, apud quos, qui Psalmos non tenebant, excelsa voce, viris inchoantibus, mulieribus respondentibus, *Kyrie Eleison, Cbriste Eleison*, clamabant, ex *Filefaci Lib. I. Select. c. 5.* monet B. Geierus l. c. p. 202.

§. 23. Cantica vero sæpe non una, sed pluribus linguis veteres efferebant. Hieronymus in *Ep. ad Eustochium* de obitu Paulæ: *Tota ad funus ejus Palæstinarum urbium turba convenit, monachi, virgines, vidua, pauperes. Hebrao, Græco, Latino Syroq, idiomate Psalmi in ordine personabant.* Nyssenus in *funere Meletii*: *ὁ καλὸς Δαυὶδ - ἐν ἑτερογλώσσοις καὶ ὁμογλώσσοις περὶ τὸ σπῆν* *ἐχόρευον.*

§. 24. Deinde *Instrumentalem Musicam* vocali primum missam fuisse, non invenio. Propterea apud Theodorum Balsamoniem (ad *Can. 106. Conc. Carthag.*) taxantur nonnulli, qui in nobilium defunctorum memoriis laudatorias preces cum jambis, musica & organica cantica cantillabant, & pro epitaphiis epithalamium recitabant. Verba sunt Cardin. Bonæ l. c. n. 5. p. 831. Et mirandum propterea quoque est testamentum Ludovici Cortusii, JCu Patavini. Is enim in funere suo acciri iussit Musicos, cantores, citharædos, & tibicines omnis generis, qui vario concentu una cum clero pompam partim præirent, partim sequerentur, usque ad quinquaginta, quibus singulis dimidium aurei nummi destinavit. Fretro subire debebant duodecim puellæ inuptæ, viridi panno vestitæ, quæ alta voce in via ad templum concinerent. Vid. D. Finkelthuf. *Disp. de Jur. sepult. Lipsæ d. 13. Jul. 1626. bab. concl. 31.*

§. 25. Sincerius plane veterum Christianorum in exequiis interconcentus erat *gaudium*, non mundanum, sed *spirituale* in Domino, adeoque debitas piis lacrymas non prohibens: potissimum, si funus ageretur illustrius. Hinc de sepulchra Pulcheria Nyssenus scribit: *Hinc etiam magnus David suos hymnos & laudum decantationes lamentationibus accommodavit, ac pro hilari choro sumpto invicem tristi & lugubri cantilenis ad lamentationes invitavit.* Cum Basilii efferretur, Psalmodiæ a lætæ vincebantur. Audiebantur ψαλμῳδίαί θρηνοίς ὑπερνικώμεναι, καὶ τὸ φιλόσοφον τῷ πάθει καταλύομενον, ut ait Nazianzenus in *orat. funebri*. Quanquam negari nequit, sæpe quoque nimio fletui indulgisse a natura victos quamplures, ut in viam eos reducere S. Patres opus habuerint. Quale Nyssenus modo laudatus fecit. Cum enim in sororis Macrinæ funere incondita quædam confusio sacrum beneque constitutum Psalmorum cantum consequeretur, *nulius silentium imperavit, & præcone præcunte, solitasque Ecclesia voces inclamante, populum ad precandum composuit.*

§. 26. Christiani ergo ut tristantur, at semper ceu læti: Ita & tum, quamvis lugentes, suum canendo gaudium testabantur. Certe vix verba invenit Sulpitius Severus, quibus plansum in S. Martini funere canentium describat. *Comparetur, ait, secularis pompa*

pompa, non dicam funeris, sed triumphi, quid simile Martini Episcopi exequiis conferetur? illos confusis plausibus populorum honores insania: Martino divinis plauditur psalmis, Martinus hymnis celestibus honoratur. Scilicet glorificabant ita Deum, quod defunctum a molestiis hujus vitæ liberaverit, quodque metu mortis exemtum, immarcescibili corona ornaverit: congratulabantur ipsis in Domino mortuis, seseque invicem consolabantur, & gaudebant, Deum ipsum monumenta hæc animorum quasi ἰσχυρισμοῖς, extruxisse, ad perverfam mortuos gentili more plangendi consuetudinem evertendam. Vid. Kirchn. l. c. p. 155. Huc spectant testimonia Chrysoptomi Hom. LXI. T. V. Semio erat confectus; vel hanc ipsam ob causam gratias age, & eum recipientem glorifica. Reverere modum elationis. Psalmodia, & preces, & patrum frequentia non ut fleas & lamenteris, animumq; despondeas, sed ut ei gratias agas, qui eum accepit. Hom. IV. in cap. 2. Hebr. Dic mihi, quid in exsequiis volunt clara lampades? annon mortuos nostros tanquam athletas deducimus? Quid hymni? annon Deum glorificamus, & gratias agimus, quod eum, qui excessit, coronaverit? quod a laboribus liberaverit? quod eum apud se habeat? Nonne ideo hymnos canimus & Psalmodias, qua omnia sunt signa letantium? Est enim quispiam inter vos animo lato, psallat, inquit Apostolus. Et cur ad mortuum vocas presbyteros qui psallant? annon ideo, ut solatium accipias, & honores eum, qui excessit? Et Hom. LI. ad Pop. Antioch. Principio quidem super mortuos planctus & lamentationes fiebant: nunc autem psalmi & cantus hymnorum. Fleverunt igitur Jacob XL. diebus, fleverunt & Moysen totidem alii Judei & planxerunt, quoniam mors tum temporis mors erat: Jam vero non ita; sed hymni sunt, preces & psalmi, qua omnia voluptatem in ea re esse declarant. Psalmi enim tranquilli & hilaris animi sunt. Equo enim est animo quis in vobis, psallat. Sanctos Angelorum choros cum divina psalmodiarum harmonia funus Simeonis cujusdam comitatos, Surius 1. Jul. memorat: Sacerdotes sunt Angeli Domini: quis non angelicam eorum apud Veteres cantionem credidisset? plenam gaudii, plenam devotionis, plenam pietatis? TANTVM.

SOLI DEO GLORIA.